




5





ENCOMIUM  
CANDORIS,  
ORATIONE PEDESTRI  
*concinnatum, &*  
IN  
Illustri Regiomontan.  
Academia.

JOANNE BLUMIO,  
Wittebergensi, Juris  
Lytâ  
Publicè recitatum.

WITTEBERGÆ,  
Typis CHRISTIANI THAM,  
Acad. Typogr.

M. D. C. XXIV.



RECTOR ACADEMIÆ  
REGIOMONTANÆ,  
**DANIEL HALBACH**  
**A PORTA, D. MEDICUS**  
ELECTORAL. ET PROFESSOR  
ORDINARIUS.

Studioſis S. P. D.

**D**olosa mens, quò cautiùs & sceleratiùs fallat probitatem, velamento obambulat CANDORIS. Non exemplo apud reeptus est, ò ingenua juventus, cuius probam simplicitatem, sive etiam imprudentiam non semel forte circumvenit. Sed & totus mundus p. & dolor, personatus est: illi ipſi, qui ſive CHRISTI, ſive JESU nomen jactant, nihilominus ſunt, quam videri volunt. Nihil mirum, ſi nonnemo exclamat: Heu nobis! qui in medio Christianorum, Christianos nullos videmus, audimus, experimur. Humilitatem loquitur superbus, beneficia avarus, juvandi ſtudium, invidus, amore inimicus. Sic plarig omnes viperæ ritu niveo denticulo atrum inspirant venenum. Pauci ſunt, quos amat VERITAS, FIDES, & CANDOR: CANDOR, cui debemus, quod orbis terrarum nondum diſſolutus eſt, & tolerabile aliquod commercium relictum. Absq; eo eſſet, quantillus etiam

etiam inter quām paucos sit, omnes contractus, pacta, fæderat tristissima fraudum, discordiarum atq; odiorum nocte sepelirentur. De eo luculenter dicet, vir politioris literatura JOANNES BLUME WITTEBERGENSIS  
J. II. Candidatus die crastinā horā 9. matutinā in auditorio maximo. Quod si præstat dixerit audire oratio.  
nem, (ut Clarissimus Orator Witebergensis SIBERUS,  
dum pædictus Eloquentiæ Candidatus ibidem de Militiæ  
perorare instituit publica egregiā sententia testatus est,) materia ipsa cuius cuius fuerit generis, modo cultum &  
nitorem admittat: hic cum argumentum & tractationis  
raritate delectabile, & auditu utile, & ornatu variabi-  
le, proponetur, aurium operam dedisse certè Dn. Studio-  
sos non pœnitabit: Hoc vos facturos nihil dubitamus. Ita  
tandem antiquis moribus vivamus, Candorg & Probitas  
omnisq; virtus benigna nostrum respiciat seculum.

Valete. P. P. Dominica XI. à Trinitatis.

ANNO M. DC. XXIII.

CON-

A 2

CONSULTISSIMO ET PRÆSTANTISSIMO VIRO,

Dn. MICHAELI WICHMANNO,

J. U. LICENTIATO: PATRITIO  
HAMBURGENSI,

Fautoris suo & amando & estimando.

**A**nte annos aliquot, Vir  
Amplissime, Præstantissime, Domine Li-  
centiate, MICHAEL WICHMANNE,  
cum ad mercatum artium seriarum abires; & Wit-  
tebergam, Patriam meam, unà adires: quo merces  
tibi comparares, non igne, non aquâ interituras:  
& nomen pareres, quod non deleturi sunt multi  
anni. Potissimum verò, ut Montem Musarum Al-  
banum, Viridarium floridum, Conditoriumque  
scientiarum videres: notitia mihi tecum & amici-  
tia, quæ magis recolenda & in claram lucem mit-  
tenda. Evidem, haud violabo; quamdiu me  
violentia illa dea non violabit. Quoniam in natali  
illo & puro amicitiae solo egisti radices, nec solem,  
solumque mutabis: imò & animum; quem mini-  
mè subtrahes. crevit quoque hic affectus, adole-  
vit, roburque cum annis sumsit: utinam & animis

idem

idem! Idcirco, adfectum effectu declarabo.  
Sæpe cogitationum alis transvolo ad hanc Ur-  
bem HAMBURGUM, semel visam; igitur corpus  
transvehere volui: quò & animum reficerem,  
& Luminæ viderem hujus Urbis. quæ veneror  
candore, virtute, doctrinæ, humanitate clarâ.  
Etenim, in Angliam & ad Belgas iter ubi face-  
rem, hic inivi; & ipso æstu (DEO annuente) feli-  
citer finivi. Simul inspecta Urbs placuit, nec so-  
lum oculi delectabantur: sed animus unà oble-  
ctabatur, sæpius specta ac perspecta; placebat in  
dies magis. alias Magnifica, Ornata, & quam bê-  
nigna omnium rerum copia deditavit. Mihi à DEO  
& à coelo videtur Venus quæpiam & Gratia quæ  
comitari ac concomitari solet hanc Urbeñ. Sed  
ad præpositi mei propositum, ut redeam: multa  
me incitant, Doctrina, Dignitas, Virtus; & ante  
omnia, humanitas: quâ trahis & nectis me tibi,  
Adamantino quodam vinculo. Hodieñ die,  
si ex lege amoenum aliquid & urbanum quæris:  
ubi sal & Urbanitas hominis; singularis humani-  
tas, Germana autem gravitas ubi? Quidquid vul-  
tu, voce, calore præferunt nonnulli, vanum est,  
imò nihil: licet omnia plena suavitatum mellis &  
amoris. Rara per hæc tempora fides est; & ut ve-  
rum dicam, ea citra verba ferè consistit. Rosis suæ

spinæ adhærent, atque illas legere licet, & ab his  
non lædi. Utrumque enim vitium est omnibus cré-  
dere & nulli. medium tenere beati. Virorum bo-  
norum & suorum amantium, magnaritas est; &  
ut hæc tempora fluunt, magna necessitas. Sunt  
molles in re pietatis, sicut ferrum, dura & ferrea  
tempora, dicunt, etiam ferrea fronte utuntur. Præ-  
fiscinè dixerim, apud nonneminem fucus & simu-  
latio appetet, penes te; non nisi Candor, veritas,  
natus color & germanus sanguis. Non enim dis-  
simulo: me quoque excitavit & cale-jam-fecit  
tam ingenuus tuus ardor, qui purus candidusque  
& immunis ab omni affectu. Amo te & amavi,  
quia candorem amas, imò possides; id est, Thesau-  
rum bonæ mentis. amari abste; valde quia volo,  
valde quoque cupio. Hinc offero tibi candidum  
hoc, de C A N D O R E , scriptum: maximoperè pe-  
tens, ut gratum animumq; habeas; & istum ames,  
illud examines: quò liberius memonueris, eò ma-  
gis muniveris. Alioquin & vitis jacet nec fructum  
fert, nisi ad stipitem aut arborem applicata; vix  
etiam studiosus: si non gratia & favore Magnatum  
subnixus. Siquidem non tintus litteris, sed gradu  
Licentiati insignitus: adjutos profectosque is eos,  
qui colunt. Nemo inficias ibit, duplex vinculum  
firmius ligat uno. dupli igitur vinculo obstri-  
ctus;

etus; honoris, quo devinctus; amoris, quo devi-  
etus: ero & in æretuo, quamdiu in vita ero. Da ô  
Deus recta, da & vera agnoscere; da quoque, ut sit  
concordia concors, concentus & unanimis con-  
sensus. hoc enim voto includi censeo reliquavota  
omnia. Deus coelestis qui igneo illo spiritu huma-  
nas omnes argutiolas dissat, adspiret, & meliorem  
auram inspiret; corda refrigerantia incalescat. Ille  
ipse qui Autor & Actor omnium rerum, & non ni-  
siboni Fautor, sit & Unionis autor. Interim, Ami-  
plissime & Præstantissime Vir, cultum & officiola  
virtuti ac Dignitati tuæ debeo, & hac scriptione  
defero, manu ac mente comprimo. Hosce cona-  
tus meos, bono animo suscipias, meliori consulas,  
optimo denique evertas. Cuivis probo mentem  
candidorem precor, pectus ipsa nive candidius ap-  
precior. Pateant fores hujus pectoris, quod candi-  
dum esse experiemini omnes vos candidæ mentes.  
Vale vir politissime Domine WICHMANNE, &  
me re, opera & consilio bono adjuva. Salve ab  
eo qui meritissimô teamat, JOANNE BLUMIO.  
wittebergæ. Nonis Junii Anno 1624.

Omnium



Mnium honestarum rerum semina  
animi gerunt, Auditores optimi, quæ  
admonitione excitantur, non aliter;  
quam scintillæ flatu levi adjutæ ignem  
suum explicant. Natura bonæ mentis  
semina dedit omnibus, quæ in aliis magis & minus elu-  
cent, ut est animi temperies. Non in omnes cùdem  
mensurâ diffusus est Spiritus; nec in me aut quemvis il-  
le, ut ad lancem aut dimensum verba dare possit. Est  
æternæ illius benignitatis, spargere ingeniorum dona  
in ætates & in homines. Providentia Dei per gentes æta-  
tesque spargit artium flores, & magnum hunc inundi  
hortum veluti per areolas variè colit. Et quæ Resp.  
tandem futura, si veteres, ut sic dicam arbores excidan-  
tur, novellæ stirpes non depangantur in eorum locum?  
Vastitas profectò & tenebræ, & boni honestiæ, inscitia.  
Semen quamvis exiguum, in bono solo sparsum, facile  
comprehendit se & explicat; breve item monitum in  
bonâ mente. Ut in agro non satis est semel sementem  
jecisse, & ille accipit, fovet, profert: sic in animis, qui  
quotidiano, ut sic dicam, vomere proscindendi & ob-  
serendi sunt ad meliorem frugem. Cole, cole adolescentiæ illum agrum, & fruge bonâ inscre; quin & fru-  
ctum nanciscaris, mihi prorsus nullum fit dubium. Fa-  
cile assensus calculum quilibet ponet, & mecum con-  
sentiet. Ut ignis sine materie languescit, & amor sine  
alimento. Ne autem sub cineribus delitescat hic ignis,  
(ventilante velut flabro virtutis accensus) quin quia hone-

honestus, exserat se, & adminiculo cartæflammam det,  
nec in exitialem aliquam flamمام; sed ignis totus fiat;  
ut & alii ignem petere possint: Igitur fomentum addam.  
Mare qui intrat & navigat, fluctus exspectat, & qui ma-  
teriem aggreditur, varios motus, angores, si non do-  
lores aut metus. Sed priusquam accedam, certum mi-  
hi audire, & libare judicia de toto hoc genere scriben-  
hi: et si universum hoc displicebit, filere: (cur enim ve-  
di: et si universum hoc displicebit, filere: (cur enim ve-  
la faciam adversis ventis?) si in parte cognoscere & re-  
fingere, & quid minus recte aut considerate à me scri-  
ptum aut dictum. Et si materies parata, & mox cala-  
mum sumsi, & huic cartæ impressi, & simul meam  
mentem; paulisper tamen detinuit scripturientem. Se-  
mitam sëpè ingredior cum maxime censuerim viam &  
gratiam habebo: si quis corrigat, dirigat & reducat.  
Divina illa Musa nondum inculcavit, ut sic calcarem  
omnia tam pede recto & certo. Si cum justâ judicii lan-  
ce rem pondero, remitto affectum, & in rationis partem  
incipio propendere, adhuc animi pendo. Elephantes  
et si omnibus impensè delectantur; haud temerè tamen  
ingrediuntur, cum inscii sint natandi. Quia & ego igna-  
rus, hic reprimit metus; & adnavigare jubet litus: Cir-  
ca illud natabo, ubi me adhuc emersurum sperabo. Hic  
suggeret quispiani, sed qua fini tractas, aut quid speras  
in ea, aut spectas? Utrumne ut rem lapsam corrigas? la-  
bentem firmes? An ut hac ratione imminentem pestem  
perniciemque depellas? Rei præteritæ res est; quam  
reprendere & infectam reddere, ne diis quidem volue-  
runt esse in manu. Curæ hæ tradendæ ventis, & in ma-  
re, ut ille ait, projiciendæ, imò inaniis & arancis com-  
mittendæ. Interim adibo & proferre aliquid audebo,  
nec mei ingenii aut virium fiduciâ, sed eorum, à quibus

B

mutuor

mutuor & sumo. Hoc excusatius, quod non consilia  
aut decreta adferam, nec asseram aliquid aut inseram,  
sed differam. Si non doceam, discam tamen. quod si  
probè & judicio à me fiet, nemo damnet. Si aliter?  
tum ego quoque nihil negem, quisquilius volantes &  
venti spolia hæc esse. Itaque sententiam meam ad stri-  
ctam, sententiæ alienæ hic adjungam. Si quis meliora  
se putat posse, largiatur & promat; vel his adponat, ego  
me ipsi non opponam. Quemadmodum in mari va-  
rii alias venti, gubernator tamen rectum cursum tenet,  
nec deflectit mentem, aut oculos à proposito cursu: ita  
nobis esse debeat, recta petere, prosequi: nec ejici, viâ  
adversante aliquâ, judiciorum & sermonum aurâ. Utut  
sit. Cogito sæpè illud Senecæ: primùm nè sim me uno  
contentus: deinde quæsita cognovero, tum de inven-  
tis judicem, & cogitem de inveniendis. Alit lectio in-  
genium & studium fatigatum, non sine studio tamen re-  
ficit. Nec scribere tantum, nec legere debemus: altera  
res contristabit vires & exhauiet: de stilo dico; alte-  
ra solvet ac diluet. Invicem hoc illo commutandum,  
& alterum altero temperandum: ut quidquid lectione  
collectum est, stilos redigat in corpus. Non enim me  
cuiquam mancipavi, nullius nomen fero: multum  
magnorum virorum judicio credo, aliquid & meo vin-  
dico. Nam illi quoque non inventa, sed quærenda no-  
bis reliquerunt, & invenissent forsitan necessaria, nisi  
& superflua quæsissent. Aliquando pictor, cum tabu-  
lam acceperit, primùm hominem totum delineat, co-  
lores aptos querit, & addit cuique parti: sic bonorum  
auctorum imitator corpus eloquentiæ suæ formet, pi-  
gmenta deinde varie conquirat. Etiam Zeuxis ille pi-  
ctor Junonem effigiatus, virgines pulcherrimas con-  
duxit,

duxit, & è singulis aptavit quodque præstantissimum.  
Exoptarem ut & hic delinearem sic, quo plus intellige-  
retur, quam pingeretur. Nihil tam probè aut tam pro-  
vidè potest dici, quod non vellicari malignitas aliqua  
possit. meritò & hic retardere quilibet deberet ad no-  
vum aliquid pangendum? Proh dolor inter homines  
improbos hoc quoque genus invenitur, qui velut ma-  
culæ & nebulæ suffundunt veneni sui auram & involu-  
rum aut infectum eunt, quidquid alienum est! Ab ipsa  
doctrina humanitas exulare jussa est, à virtute candor,  
quasi magni quicunque censere alienam industriam at-  
que despicere audeant. Hic dicet quispiam. Tu qui ex  
ignorantia tenebris vix pedem movisti, verborum ve-  
lut funalia quædam accedes; ut videaris atque inno-  
tescas. Cur tu audes nebulam tuam spargere inter stel-  
las? & verè nebulam: Si me involvit ingenii nebulas,  
vel nubecula evolves me breviter. Non est minus,  
homines cogitationes sæpè longius jacint & pruden-  
tiam putant, timere: non timenda. timor & tremor ab-  
jicienda sunt, genus vitæ sumendum, & in sumto fir-  
miter hærendum. Cogitanti mihi de materie, & qui-  
dem de CANDORE, os concurrit, lingua titubat, den-  
tes colliduntur, membra & nervi rigent, oculorum or-  
bes caligant & caligo mentis fit, quando artus artesque  
libro. Nemo facilè est, qui ad plenum aliquid in hac  
materie tradiderit, sed nec tentarit; & parcè admodum  
oleum infundam isti lucernæ. Interim, vitrea pro gem-  
mis, tenebras pro luce, flamnam pro fumo, umbram  
pro igne, & frivola emittam, ut eliciam aliorum gem-  
mas. Itaque juveniles levesque animi motus & primos  
quasi labores, quos velut primitias hic libavi, inferam  
in aram hanc Musarum. Date mihi obsecro hoc loco

hanc veniam, ut liccat mihi paulisper tenuem, in re te-  
nui materiem, incertam & indagandam, otio meo &  
patientiâ vcstrâ abuti. Decoris limites ab initio egre-  
dior, quia novus salutator, accedo hoc æstivo tempore,  
& fortè in medio æstu negotiorum vestrorum. Sic jus-  
modi fabri sæpè circumstrepent ac circumsonarent  
vestras aures, non grati admodum futuri essent hospi-  
tes. Maximoperè à vobis peto & contendo, ut non io-  
lum aurium vacuas ædes aperiatis, sed & animum men-  
temque adaperiatis, & peregrinantem veritatem ad-  
mittatis. Sol ille non sidera tantum, inter quæ medius  
fertur, illustrat, sed hanc imam & minimam quoque  
maculam telluris: sic non æquales & in alto positos  
amabitis: verùm etiam alios in humili & obscuro ama-  
bitis. Vobis brachia pando, vel potius affectui vestro,  
vos quæso expandite sinum amoris & favoris, libram  
appendite, si non in merentem, certè cupientem, appen-  
detis etiam, si non ad lancem omnia pendetis. Aristo-  
teles ad suum regem: vetus & à majoribus acceptus ho-  
minibus est sermo, quod OMNIA DEO ET PER DEUM  
nobis sint constituta. Nosse ante omnia Supremum Il-  
lud Numen ( quatenus homini datum ) oportet: & co-  
gnitu, piè pureque venerari. Apprimè neccssarium,  
quia de DEO optimè existimare, pietatis est exordium.  
Novit enim naturas omnium qui condidit, nece ve-  
nis aut colore, de ægritudine judicat: sed è pectori, &  
è fibris. Ille est solus, qui merita potest expendere, qui  
sine ullo simulationum fuso virtutem vitiumque videt  
in vero suo vultu. Hoc tamen habeto; quod in navi  
gubernator, in curru auriga, in choro præcentor, in ur-  
be lex, in exercitu imperator: id in orbe est Deus.  
**Arbiter ille & inspector operum consiliorum & men-**  
tium.

tiūm. Nec inspectōr solum, sed judec, index & vindex.  
Omnes homines de Diis habent existimationem & sen-  
sum, teste Seneca. Nulla gens usq̄ue est adeo extra le-  
ges moresq̄ue projecta, ut non aliquos Deos credat.  
Verissimē alia alibi religio est, ubique aliqua: nec in  
veteri & nostro solum orbe hoc apparuit, sed in rudi il-  
lo novo, ubi inter barbaros, feros, homicidas, homi-  
edones quis angulum ad huc reperit, quem religio &  
numen non vindicaret? Consule te ille ipse, qui dissen-  
tis in recte factis, ecquid lætari aut diffundi te sentis.  
contrahi in sceleribus & angi? Ne dissimula, sentis: at-  
que id etiam in occultis. Unde autem ille alteruter sen-  
sus, nisi quia animus judicat, judicem alium esse, & ali-  
quid homini præter hominem timendum? atque id est  
numen. Sicuti cum fulmen in unum aliquem cecidit,  
etiam ii qui in proximo stant, tremunt: sic fit hac ratio-  
ne ubi damnum ad paucos pervenit metus ad omnes.  
Nec præst solum divinitas rebus omnibus, sed interest,  
imò inest, res omnes inspicit, adit, cognoscit, & cogni-  
tas immota quadam ac ignota nobis serie dirigit ac gu-  
bernat. Faxit & ipse Deus, ut omnia cadant ipsius in  
honorem, & Recip. ac rei literariae splendorem: imo  
multorum hominum salutem. Ut autem fluvii per me-  
dia maria transire dicuntur, & servare suam undam:  
sic, qui soli DEO subjiciuntur, per tumultus circumfu-  
sos, ut falsedinem nullam trahant ex hoc pelago mero-  
rum. Vitæ hoc salutem quo magis ingredimur, plura sal-  
sa & amara invenimus: quæ tamen omnia summus ille  
Deus solet temperare. Clades sunt velut Gymnasiūm,  
in quo Deus suos ad robur instituit & ad virtutem.  
Nam caprificus, cum ipsa maturas ficus non gignit, in-  
secta tamen quædam producere dicitur, quæ veras ficus

maturent scalpendo, morsicando: sic multi nullum gi-  
gnunt fructū, nisi & mordicatum ac duriter cruce exer-  
ceantur. Quemadmodum arbores ventis agitatæ, altius  
radices agunt: sic boni in virtute magis comprehen-  
dunt, impulsi aliquoties adversitatum flabris. O quām  
utile multis frænum & coërcetio morbi! Nam revera si-  
cut Athenienses de pace non nisi attriti: ita de D E O  
nunquam nisi afflitti, cogitabant. D E U S est qui publi-  
*Lipsius.* cas clades immittit, alit, fovet, & tum finiet, cum nos ca-  
rum causas. Irritamus cotidiè magnum illud numen,  
& quasi puniendi justæ causæ non sint, damus novas:  
quando luxus, fastus, libido, major & impunitior. Qua-  
re miremur reconditam hanc sapientiæ vim, non rime-  
mur, & sciamus clades omnes exitu bonas esse, etiamsi  
cæca hæc mens non videat, aut tardè eò pertingat.  
Quod enim retrò ævum, si rectè examinas, tam calamiti-  
tosum fuit, quām hoc nostrum est: aut quod erit? Quæ  
gens, quæ regio tulit? Quocunq; oculos mentemq;  
convertas, suspensa omnia & suspecta: & ut in domo  
malè fulta signa pluriâ ruinæ. Ne cramben biscoctam  
reportem, & anus recoquam diu extinctas; neque dila-  
tem hæc satis trita, vela potius contraham. Romanis in  
vestitu placidum reperio colorem album. Sive quia is,  
ut Plato alibi vult, lætitia proprius, & Deorum: sive  
potius agrestis illa, & prima Gens spretis accersitis co-  
loribus, lanæ nativum retinuit, id est album: ita toga  
Romanor. alba & tunica fuit, & calcei, & omnis cotidia-  
na vestis. Nam petitores non contenti insito lanæ colo-  
re, cretam addebat in vestē, ut candesceret, imò splen-  
deret. Hac ergo nota discreti à vulgo & καὶ ἐξοχῶ dicti  
candidati. Romani, inquiunt, saltem per dies festos in  
veste albâ erant: non ergo cotidianas togas censendum  
can-

candidas. In homines nisi fallor tenuiores, quibus cum copia mutandæ togæ non esset; tamen ut nitidi & melioris fortunæ apparerent, sub dies ludorum togulam suam incretabant. Qui verò ditiores & elegantiores, ii semper toga vestiti erant, quæ si interdum sordes aliquas traxisset, erant Romæ fullones, qui eas maculas ac sordes togâ eluebant, & addito Sulphure ac cretâ iterum eam candefaciebant, teste Plinio. Unde Laetantius immortalitate nos veluti candidatos esse eleganter dixit. Candidati etiam dicebantur, qui ad alicius magistratus, aut dignitatis petitionem adspirabant à togâ candidâ, ut antea dictum, quam per id tempus inducebant, sive ad denotandam integritatem, quod solus hic color sincerus ac purus & minimè inquinatus est; sive ut perspici ab omnibus possit eos pecuniam non habere, quâ cives corrumperent. Ire autem candidati per comitia solebant, suadendo, rogando, submittendo se omnibus, & nudato etiam corpore cicatrices ostendendo candidum illis fuit pectus, non tam præligatum, & quod ostendere se voluit, quæ dixit. Hodierno die quando insigniri gradu Magisterii vel Doctoris Philosophiæ, uti vocant, Theologiæ, Jurisprudentiæ & Medicinæ singulari modo petendi honores, quibus merito gaudeamus, gratulemur, gratias agamus D E O, qui immisit hunc affectum & ipsis quod sic admiserint: gratias agent ipsæ Musæ, gratias aget ipsa gratiarum Diva. Ut lana priusquam ultimum illum & optimum colorem combibat, succis quibusdam aliis præparanda: Sic animus veritatis purpura seriò est tingendus. Imbutum profectò hoc pectus arcanâ aliquâ doctrinâ oportet, quod promat tam docta & exponat. Mihi crede perveniet ad optatam calcem, quisquis

seriò

serò volet & nitetur, & talibus utroque oculo Juppiter  
annuit, Mercurius dirigit, ipsa Minerva manum & men-  
tem iis & cum iis movet. Ut amatores Veneri, bellato-  
res Marti: quidni item nos novem virginum alumni,  
ut Musis & Apollini studiorum præsidi, præstitiique nos  
facilius supra Jovem Jovi, rite libemus. Nonnunquam  
scandere ad tituli illius apicem curant, atque brevi ad  
ipsum culmen ut perveniant, quo adspirant: sive enixè,  
ni si & nisi eive non, allevant; sapient ruinam etiam,  
quād adscensum struunt. Quando comiter aggrediun-  
tur & aditum per cuniculos struunt, sive tigna sunt  
apt a, ad exstruendum ædificium; sive non levi dolabra  
elaboranda, raro aut nunquam desunt, qui culmen æ-  
dificio imponunt. Ut cum Seneca hic addam aliquid,  
& adjungam, itaque sic priore illo verbo, quasi publi-  
co usus est, & sic illum amicum vocasti, quomodo  
omnes candidatos, bonos viros dicimus; quomodo  
obvios si nomen non succurrit, dominos salutamus.  
Mos fuit ut qui in Senatu (ubi sub principibus suffragia)  
Candidatum produceret. Bonum vel optimum virum  
diceret. Hinc addit Seneca, sua satius est mala, quam  
aliena tractare: se excutere, quam multarum rerum  
candidatus & non suffragari. Hoc est Lucili egregium,  
hoc securum ac liberum nihil petere, & tota fortuna  
comitia transire. Multarum rerum Candidatus, id est ex-  
ternarū & inanum: quas aspernetur judicio & ratione:  
& si opinio & inclinatio sàpè evocent. Non igitur suf-  
fragatur; id est, petitioni suæ tali non facile subscribit.  
Quotquot sunt qui sublati & elati animi homines ince-  
dunt, non secus acsi uterum ferrent, equas à vento fa-  
vonio concepisse: non aliter, de ejusmodi hominibus  
statuendum. Sed quid enim sumus, homulli aut scimus;  
nisi

nisi hoc unum, quod nihil simus, nihil sciamus. Etta-  
men opinionis vento plætiique ferimur; cui nisi litera-  
rum modestia que velut remis renitemur, in vorticem  
imus omnium vitiorum. Nulla alia pestis est, quæ plu-  
ra ingenia abrupit, quam confidentia & æstimatio sui.  
Non pauci sunt qui secum cogitant, in tunica non la-  
næ aliquod filum sed purpura, ut ille ait, esto. Sæpè in-  
duunt purpuram magni honoris cum studia non eant  
ad purpuram vix ad fasces. Nunquam descendunt se-  
cum, cum & conscientia multos detrahatur, qui vix limen  
libarunt, nec à primo limine salutarunt literas, arcana  
omnia putant se tetigisse. Sicut Junonia avis, ubi colo-  
rem & plunias videt, sibi placet & fudit, dejicitur, cum  
ad pedes se dejecit: tale est & ii. nobis, quandoque va-  
lemus & præfidimus, languescimus: cum ultimum fi-  
nem, studiorum nostrorum consideramus. Miselli isti,  
sunt interdum imi subsellii homines, incedunt non se-  
cūs ac si curulem sellam jam diu insedissent. Romanum  
aliquis riserit, quia piscem suum atratus luxit, isti plan-  
tam. Jam si quis ex his Floræ candidatis novius aliquid  
aut rarius natus est, ut ostentat; ut alii competitores  
æmulantur, invident! è quibus nonnemo tristior do-  
mum discedit, quam olim in præturæ petitione vietus  
Sulla aut Marcellus. Quid dicam? nisi hilaram hanc  
quandam insaniam esse: nec absimilem illi puerorum,  
pallentium & rixantium circa puppas suas & sigilla. Ut  
Ulysses ille donec Leucothea velum eis opposuit, natat  
nigrum pontum: sic tu hoc vitæ salum, donec pectus ti-  
bi præcinxerit Candida illa Diva. Cæterum ipso Plau-  
to hic annuente & adjuvante, aliquid addam & adjun-  
gam. Cum similitudinem inquit literæ præ se ferat, qui  
pendet, idèo dixit, dedam te, discipulam cruci, quod

C

est,

est, suspendam te, faciamque ut crux discipulum te scire,  
bere doceat, & longam unam literam facere. Qui &  
patibulati, diciuntur discipuli crucis & cruciarios appellati  
contubernales crucis. Quando egressi crucis candidati  
nominati, non in ignominiam haec alicuius dicta,  
sed majoris cognitionis ergo. Ut cruciarii Romano ritu  
crucem suam ferebant, ipsi ab ea mox ferendi: sic Deus  
impiis conscientiæ crucem imposuit, in qua poenas  
luant, priusquam luant. Alii citius, alii serius puniuntur,  
alii in se, alii in suis. Ante solum eam punitionem cen-  
*Lipsius.* ses, quæ incurrit in oculos? quæ corpusculum hoc su-  
bit? Non est, externa illa leviter, nec in longum nos-  
tangunt: interna sunt, quæ tangunt & angunt, ut sunt  
angores poenitentia, metus; & conscientiarum mille  
morsus. Hinc approbatio melioris vitæ exorta men-  
tis. Haec vera illa animorum tormenta, hi cruciatus an-  
gi semper, poenitente, metuere: quibus cave compares  
eculeos ullos fidiculas, uncos. Non est mihius premun-  
tur quidam, qui minora peccatunt, florent & regnant  
qui magna committunt. Nec ut ego cripam trutinam  
aliorum manibus, & meo velut sensu ponderibusque  
librem; quem pondus & saburra rationis nondum sta-  
bilivit. Libram appendunt quidam, nec semper æqui-  
ter pendunt. Non punitur nunc ille? mane punitur.  
*Lipsius.* Non in corpore? sed fortasse in animo. Non vivus? sed  
certè mortuus. Manet impressus ille imminentis sup-  
plicii terror, nec tollit se unquam ab oculis imago lu-  
ridæ mortis, exinde concipiunt jure metu, quoniam  
ampliar i quosdam in rigido hoc judicio vident, non ab-  
solvi: diffundi poenæ diem, non tolli. Quilibet sciat:  
differri aliquando impios non dimitti: nec crimen  
quenquam in pectore gestare, qui non item Nemesim  
in

in tergo. Vigilat semper divinus ille oculus: & cum  
dormire illum censes, connivet: Tu autem & quis in  
eum sis: nec judicem tuum inaniter accusa, ipse ab eo ju-  
dicandus. Quomodo cunq; se recondita illa judicia ha-  
beant: non culpanda ea nobis, sed ferenda & verenda.  
Punitio omnis bona. Bona enim primò, si Deum respi-  
cis: cuius justitiae æternæ & immota lex postulat peccato-  
ra hominum, aut emendari, aut tolli. Bona iterum, si  
homines speces, quorum stare aut perennare hæc so-  
cietas non potest, si violentis scelestisq; ingenii omnia  
sint impunè. Bona tertio, si eos ipsos speces, qui pu-  
niuntur. Denique poena omnis bona, justitiae adspectu:  
sicut impunitas mala: quæ efficit ut diutius scelesti, id  
est, miseri vivant. Sol, luna, sidera, clementa, omnia  
parent D E O, solus homo est, qui in conditorem suum  
calces jacet, & resistit. Homo censetur prudentissimus,  
aut sæpè stultissimus. Nam cæteræ animantes, ubi se-  
mel offenderunt, non rediunt, non enim vulpes ad la-  
queum, lupus ad focam, canis ad fustum, facile redi-  
bunt: solus homo peccat ferè in iisdem. Quemadmo-  
dum serpentes positis exuviis redire dicuntur in suam  
juventutem: ita qui è morbo convaluerunt, tum de-  
inum veram sibi vitam auspicari videntur, sed raro aut  
huncquam auspicantur. Nisi illis ingenuum ingenium,  
seniper redeunt ad ingenium. Thus probatur candore,  
**Cic. 2. de naturâ Dcorum.** Nam solis calor & can-  
dor illustrior est, quam ullius ignis, quippe qui immen-  
so, tam longè latèque eluceat. Atque ut interdum per  
nubes medias scese exserit; & hic interlucet melior men-  
tis ignis, si non undique elucet. Sed lubet levi oculo  
alia terrarum etiam, & in iis superstitionem lustare:  
quæ discolor, sed ubique decolor, & candori ac veritati

Lipsius.

aliena componet. Candor si abest à scriptis, nebulæ & livor habent, nec illustrabit ea diuturnior lux famæ. Ut redcam: unde digressus. Budæus in Pandectis: apud antiquos erant hospitia privata, quæ magna erat necessitudo. Propterea hospitium persæpè pro amicitia ponitur. Fuit antiqui moris, tesseram dari hospitibus dimidiatam, quam quicunque attulisset ad hospitem, continuò agnosci posset, & hospitio excipi tanquam amicus & verus hospes. Hoc autem jus necessitudinis ad posteros transibat: propterea tesseram hospitalem diligenter observabant, qui autem jus violabat, iste tesseram hospitalem confregisse dicebatur, ut videre in Cist. & passim in Plauto. Quamprimum ad osculum manus venit, adventum gratulati; & venientem cum honore & amore exceperunt, hærentem sic habuerunt, abeuntem non aliter dimiserunt. Hærebat ipse & huminitas ejus in medullis: ob semel conceptum amorem. Et si non paratus nummus, nec gutta parata certi consilii, raro aut nunquam res ad rastra sic pervenit, ut amabili rostro nihil relictum. Si non delicatissimam cœnam seu delicias, imò florem cœnæ & veterem vini florem apposuerunt: nec esuriales ferias agebant, sed exhibebant argutias inter patinas. Præsertim, ubi intus ventris sumabant focula, ut cum Plauto meo jocer, non facile diu morā injiciebant, & ubi medullam quasi percepérat fames. Licet addant nunc, sol citius suum splendorem amittet, quam ego semel conceptum amorem; nusquam tuta fides. Amor humani generis nectar, suavior gratiorque est cum à superiore venit à solo & summo bono; à quo nil nisi bonum. Ipse per se amor, omnium aliarum rerum negligens, animos in cupiditatemi formæ, non sine spe mutua charitatis accendit.

Hoc

Hoc officium amicitiae est amare & amari: imò hoc  
præmium amari qui amas. Hinc provenit illud amo te  
& amavi, amari abs te; valdè, quia volo, valdè quoque  
cupio. Sicut facem ad accendendum frustra admovcas,  
quæ ipsa accensa: sic in amore conciliando evenire fo-  
let, & frustra eum poscit, qui non affert. Si amorem non  
deseris, utique nec officia amoris; amicitia quæ desere-  
re potest, vera nunquam fuit. Nam in exemplum na-  
ti sumus, atque in auxilium juvare nos tum alios &  
ostendere unius corporis membra esse. Fuit usitata  
phrasis apud antiquos, semel dextram tesseram fidei &  
amoris posui, quam sartam testam detinebo, quam diu  
me vita detinebit. Nec violabo nisi violenta illa Dea  
nos violabit. Olim amicos peregrè redeuntes, aut lon-  
go intervallo ad se invisentes, convivio solebant exci-  
pere. Quæ cœna viatica & adventitia, item adventuria  
nominabatur. Jam delinges saltem tantum, ne dicam  
cœna adventitia tibi detur. Apud Plautum reperiemus  
offendi domi, manum prehendi, osculum detuli tibi  
ferre osculum solebant, & uxores viris peregrè adve-  
nientibus; & filiæ minoribus, & filiæ maritæ patribus se  
invisentibus. Etsi res innuit, potiores esse amicos, quam  
pecuniam: & ad vitæ præsidium plus habere momen-  
ti, amicos citra pecuniam, quam absque amicis opes.  
Unde apud Scythes, autore Luciano, is habetur ditissi-  
mus, qui certissimos amicos possideret. At nostris mo-  
ribus, ibi sunt amici, ubi opes. Verus amor & bono se-  
mine natus, immortalis est, & omni fortuna major, vir-  
tute constat, virtute conservatur: beneficium, offi-  
cium, studium similesques amicitiae delicias, non exci-  
pit: sed nec spernit ubi opus. Non in beneficiis, ut in  
pecunis redditione aut re opus, ut solvaris: sed agnitio-

ne & grato animo. Animum in muneribus spectemus: nec pretium iis unquam à se faciamus, sed ab affectu. Sicut parentes magis magisque in dies veneramur & amamus, fratres etsi æquales, levius: ita beneficia antiqua sanctiora sunt, etsi præsentia suaviora. testis est experientia. In pectore amicus, non in atrio queritur. Illo recipiendus, illuc retinendus & in sensus recondendus. Quemadmodum te in dubiis & in adversis, in latetis sapienter geris, ut dubia prudenter tractes, adversa fortiter, læta moderatè: ita in omnia utilem te amico exhibere potes. Alioquin mos fuit pulcherrimus, & verè pius apud Græcos sublevandi amicos, pauperes erant enim sodalitates, qui habebant communem arcam, in quam quod mensibus certum, quid à singulis penderetur, ut esset unde juvari possent, qui ex illâ sodalitate fortunam adversam aliquo modo essent experti. Tales itaque accipiebant ab ipsis amicis & sodalibus pecuniæ aliquam summam cù lege, ut si Deus aliquando meliora daret, & ad pinguorem fortunam pervenirent, quantum esset erogatum, tantundem ipsis restituerent. O pectora candida & nivea! O animi prisca, & aurei illius seculi! Si tales plures essent, fortassis & jam viveremus cœlestem aliquam vitam. Apud amicos summum precandi genus est, velle, nunc proh dolor ostium pectoris est clausum, & scrinia sunt occulta, ubi priscae illæ Palatinæ, prisca ingenia, priscus ardor, omnes cum fortuna copulati sumus. Aliorum aurea catena est & laxa: aliorum arcta & folidida. Fortuna quæ sœpè risit, vultum vertit, & dies unus matrem gerit, alter novercam, omnia quæ sors fert, & tu feras æquo animo. Constantia est rectum & immotum animi robur, non elati externis aut fortuitis, non depresso.

Nam

Nam qui multa agit, s<sup>æ</sup>pè fortunæ potestatem sui facit, quam tutissimum est raro experiri, cæterum semper de illa cogitare, & sibi nihil de fide ejus promittere. Et si fortunæ injurias moderatè fert: quanto magis hominum potentiam, quas scit fortunæ esse manus. Sicut rotta quæ in terrâ volvitur, parte ima & minima eam tangit, cæteræ extat & est in alto: sic nos oportet decurrere per hæc humilia, maximâ parte altos & sublevatos. Omnia igitur sic patitur, ut hyemis frigorem, & intemperantiam cœli, ut fervores morbosque & cæteræ sorte accidentia. Quid ergò interest? quod alii alligati sint, alii astricti. Non est felix, qui in magna fortuna, sed qui habetur (& est ob virtutes) ea dignus. Quoniam verò quæ antiquiora sunt, verè meliora esse conservunt, ut mores, vinum, & similia: factum est ut antiquū pro probo, bono, & simplici dicamus. Pulchra hæc laudatio, ô virum doctum! sed illa melior, ô virum sapientem! & ista optima, ô virum bonum, has secessemur: & per tot labores non scire tantum velimus, sed saepere & facere. Antiqua & quæ ab aureo illo seculo habita sunt, omnia meliora nostris. Ita Plautus. Antiquis vivito moribus. Terentius, Homo antiqua virtute & fide. Cic. pro Rosc. Homines antiqui, qui ex suâ naturâ cæteras fingerent. Tacitus annali Piso vultu habituq; moris antiqui & æstimatione rectâ severus. Ennius:

*Moribus antiquis res, stat Romana virisq.*

Fuit & Roma mundi caput, mundi miraculum, mundi compendium, hodierno die vix umbra, ne umbella quidem est. Justus Lipsius, homo antiquis moribus & doctrina proficito & symbolo usurpavit, & imaginis suæ etiam præscribi passus est, quam collo & cordi appendit. Quando dicunt est vetus, vietus, veternosus senex.

Vale-

Valctudo ipsius tam varia quam Panthera, parvi robore  
ris filo pendet, extrema linea tegula stat, jam jam abire  
minatur, quoniam calor internus abit. nusquam, color  
nunquam calor: ne sanguis internus restat. Frangitur  
& delibatur vita flos ac vigor labore, dolore, deliciis ac  
voluptate. Nam puer non is semper est, cui minor  
etas, sed etiam, qui sapientia puer est. Senes deflocca-  
ti bis pueri: hinc etiam vetus simplicitas. Assensus cal-  
culum Seneca ponit hisce subsequentibus. Adhuc enim  
non pueritia nobis, sed (quod est gravius) puerilitas  
remanet. Et hoc quidem pejus est, quod autoritatem  
habemus senum, vitia puerorum, nec puerorum tan-  
tum, sed infantium. Sine moribus pietas, quicquid vul-  
tu, voce, calore præferas, vana est, imò nulla. Jure er-  
gò mores, quisquis amas illam: & factis magis, quam  
specie; seriò, nec ad pompam. Esse quam videri pro-  
bus malis. Non inter eos, quos ambitio falsos fieri sube-  
git, magis vultum, quam ingenium bonum habere.  
Omnia rerum omnium, si observentur, indicia sunt: &  
argumentum morum, ex minimis licet capere. Impu-  
dicum & incestus ostendit, & manus mota & unum in-  
terdum responsum, & relatus ad caput digitus, & flexus  
oculorum improbus risus, insanum vultus, habitusque  
demonstrat. Illa enim in apertum per notas exeunt.  
Qualis quisque sit, scies. Si quemadmodum laudetur  
aspexeris. Ut morum imprimis gravitas, sed tameu ita  
temperes, ut tristitiam & arrogantiam exuas: nec tibi  
quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem, aut se-  
veritas amorem, deminuat. Romani opere maximo  
dederint operam, ut non solùm modesti, sed & hone-  
sti essent. Hinc addit Lipsius, bella est elegantia & co-  
mitas ista morum, quis nescit aut negat? Sed sapientia  
si ad-

si adjungitur & ejus mater aut proles modestia, quantum decus accedit? Modestia est quæ ad cognitionem nostri nos dicit, hæc ad virtutem & ad Deum. Quia radix & altrix virtutis & verè famæ origo ut virtutum. Quæ si vera fateris & fatearis etiam necessum est, nisi rationem omnem exuis & sensum, illud quoque adfatre, quod modestia fulcrum & vinculum reliquarum virtutum omnium. Quæ labuntur aut diffluunt, nisi ex nixæ, nisi ex nœxæ. Ita Romani attollebant se ab humo, ut essent à fumo malarum opinionum. Heu quo cecidisti flos ille terrarum sol & sal gentium, utinam & jam amorem honesti infunderet quis, ut sic virtuosi essent. Nulli præclusa est virtus, omnes admittit, etiam, qui non sequuntur eam vident. Nec aliena à nobis ultro se ingerit & in omnium animos lumen suum immittit. Qui omne bonum honesto circumscribit, intra se felix est. Nam qui alia bona judicat in fortunæ venit potestate, alieni arbitrii fit. Unum bonum quod honestum. Est certè maximum instrumentum & radix (ut Lipsius appellavit) omnium decretorum. Vir bonus quod honestè se facturum putaverit, faciet, etsi laboriosum erit: faciet, etiamsi damnosum erit: non faciet, etiam periculosum erit. Rursus quod turpe erit non faciet, etiamsi pecuniam affert, etiamsi voluptatem, etiamsi potentiam. Ab honesto nulla re deterrebitur, ad turpia nulla spe invitabitur. O felicem illum, qui non actus tantum, sed etiam cogitatus emendat! O felicem qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque ejus se componat atque ordinet! sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat. Sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant. Miraris homines ad Deum ire? Deus ad homines venit (imo quod proprius est.

D

est in homines venit. Nulla sine Deo mens bona est.  
Neq; semper antiqua optima, paulisper extra oleas va-  
gari licet, nec operam & oleum perdam. Quanquam  
extra omnem judicii aleam minimè positum esse sciām,  
non autem dubitationis velim. Hujus rei tam liquida  
& tam obvia veritas, ut non alia veterior & receptior;  
quibus Dei & veritatis aliqua lux affulgit. In Austria tria  
sunt cœnobia, non procul à Viennensi urbe juxta Da-  
nubium sita. Uno sunt Edones, altero Bibones, tertio  
Eucliones. Ut Tantalus sitit inter suas undas & ipsi esu-  
riunt inter medios melones, licet omnia corrādant,  
nunquam possunt se collocupletare. In istis epulis esu-  
riunt, nec saturiri unquam possunt, sæpè ad lunæ lumen  
garriunt, vivunt, bibunt, scortari crebrò solent & con-  
vivatier. Non toto asse se pasci semper necessum est.  
Nam aliis plures vilissimis & simplicissimis cibis vixisse,  
ut videre est ex Seneca. Despūo autem sumptuosas vo-  
luptates, non ob ipsas, sed incommoda, quæ comitan-  
tur. Præceptorum toti huic rei in Epicteto simile crit.  
Meditare aliquando & usurpa vitæ rationem, tan-  
quam infirmus, ut rectè valere etiam possis, abstine à ci-  
bis, aquam pota, aliquando & omnem appetitum cohi-  
be, ut mox etiam & rationabiliter possis appetere: non  
nunquam & aquâ pollutâ usi. Venter præcepta non  
audit, poscit, appellat, non est tamen molestus credi-  
tor, parvo dimittitur, si modo das illi quod debes, non  
quod potes; apud veteres instar obsonii erant pisciculi  
minuti. Adspice culinas apud Cacolycos illos & con-  
cursantes, inter tot ignes coquos: unum videri putas  
ventrem, cui tanto tumultu comparatur cibus. Ad-  
spice quot locis vertatur terra, quot millia hominum  
arent, fodiant: unum videri putas ventrem, cui hinc in-  
de se-

de scribitur, metitur, O quantum lachrymarum exprimitur! O quantum laborum exigunt! Cogita tecum quilibet singulis diebus octodecim sextarios vini habet, antequam dormitum eat, si adhuc postulat duos sextarios, aut praeter aut propter non desunt qui addunt. Ut matre fuerat natus vini eduxi meri significat meracum vinum non dilutum & limphis jugulatum ebibisse. Atrum & asperum vinum, crucium ut appellant, non respiciunt.

*Vino nihil jucundius quidquam cluet.*

*Hoc continet coagulum convivia.*

*Hoc hilaritatis dulcis seminarium.*

*Hoc agitudinem ad medendum invenerunt.*

Julius Cæsar Scaliger animam conviviorum. Aristophanes vinum lac Vencris appellat. Optimum a. & quasi è femore Jovis natum, vetus vini genus, florem vini dixerunt. Etsi ipso nihil salubrius, multis venenum. Ut enim virus vini admixtum perniciter & perniciose penetrat: sic peccata hæc adsita virtuti, occulto quasi fune insciūm invitumq; trahunt ad alium finem. Quemadmodum musto dolia ipsa rumpuntur, & omne quod in imo jacet, in summam partem vis caloris ejecitat: sic vino exæstuante, quidquid in imo jacet, abdidum effertur, & prodit in medium. Quando à vitreâ illâ Deâ alliciuntur, si non in feras, certè in pecudes mutantur: ideo semper est illis ferina vita. Quidam adeo vinosus est, ut perennem fontem Corinthium, si is vino scateat solus exhaustire bibendo possit, plures consentiunt, imò velut ad palmam currunt, in Dyonisiaco hoc agone. Nonnulli qui vinum avidissimè & largissimè sumunt, & spongiarum instar madescunt, tamen mentem non mergunt in copiâ sed pedibus, capite, lingua constant,

stant, ut sobrii, imò crescebat in iis ratio & oratio, velut  
igne illo humoris accensa simul & irrigata, quid dicam?  
nisi voluntariam esse insaniam: neque insaniam in omni-  
bus eadem. Ite prodigia, & istos gurgites, pœnè dicam,  
maris aliquis gurges mergat. Fugite delicias, fugite  
enervatam felicitatem, quâ animi permadescant, nisi  
aliquid intervenit, quod humanæ fortis admoneat, ve-  
lut perpetuâ ebrietate sopiti. Veteres enim ante ci-  
bum ne aquam quidem sumebant, nunc jejuni prius  
onerant se vino, tum cibum gestant corpore madido &  
perfuso. Deus scilicet est, qui punitum it jure veterem  
istum luxum, seramus; aut ne feramus, emendemus:  
potius mentem flectamus, ad magnam illam mundi  
mentem.. Quanquam apud illos simplex libatio & gu-  
statio: apud nos verò est balneum, non potio. Ita in-  
fundimur & perfundimur hodiè atque adeò confundi-  
muri. Et sæpè fit, ut apud ejusmodi balneariores jus bru-  
torum nullis precibus impetrari possit. Nonnunquam  
phiala grandior circumfertur, ex qua omnes bibunt in-  
terdum dant cantharum circum; & sic Bacchum ro-  
tant. Apicius omnes homines luxus & gulæ studio su-  
peravit, cum scire aliquem vellet, quid absumpti &  
quid reliqui haberet; audito centies restare indoluit &  
fama moriturus sese interemit. Et quæ gloria capere  
multum? cum penes te palma fuerit, & propinaciones  
duas strati somno ac domitantes recusaverint, cum su-  
perstes toti convivio fueris, cum omnes viceris virtute  
magnificâ, & nemo tam vini capax fuerit, vinceris à  
Dolio. Potissimum homo dijudicatur ex bonâ con-  
scientiâ, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex  
placido vitæ & continuo tenore unam eandemq; pre-  
mens viam. Est autem conscientia, Reliqua in homine  
recte

*recte rationis scintilla, bonorum malorumq; facinorum  
judex & index.* Nam conscientiam vulgo appellamus,  
*violati numinis aut perperam culti tristem cogitationem  
& morsum.* Utiliter autem ea data, ut corrector adfe-  
ctuum & animæ pædagogus. Nam sapientes censet esse  
debere nullius maleficii consciens non sibi solis, sed &  
iis, quos coercere jure aut imperio possint. *Quicquid  
supremo illo teste geritur, & habebit impressum pe-  
ctori.*

*Est æquitatis oculus omnia qui videt.*

Et ut Polybius in fragmentis: nullus neque testis tam  
formidabilis, neque judex tam gravis, quam conscientia,  
quaæ mentibus cuiusque insidet & inhabitat. Fræ-  
num ante peccatum: quia infixa nobis ejus rei adversa-  
tio est, quam natura aut lex damnavit. flagrum post pec-  
catum: quia perfecto demum scelere magnitudo ejus  
intelligitur. Et magna sanè vis ejus est in utramque par-  
tem, ut neque timeant ii qui nihil admiserunt, & pœ-  
nam semper ante oculos versari putant, qui peccave-  
runt. Animadvero enim etiam Deos non tam accuras-  
tis adorantium precibus, quam innocentia & sanctitate  
lætari: gratioremque existimari, qui puram castamque  
mentem, quam qui meditatum carmen intulerit. Ipsa  
verba Epicuri in Epistola ad Menætium: non est jucun-  
dè vivere, nisi simul prudenter & honestè; neque justè  
nisi jucundè, cognatæ enim junctæque virtutes sunt ju-  
cundæ vitæ, & ipsa hæc separari ab illis non potest. Co-  
gitet quilibet quam multa contra bonum morem fa-  
ciat, quam multa ex his quaæ egit veniam desiderent:  
jam irascetur etiam sibi. Nemo inquam, invenitur,  
qui se possit absolvere, & notencem quisque judicet re-  
spiciens testem conscientiam. Non item iniquum:

D 3

quia

quia pœnæ, ut dixi omnes meruimus, nec unq; tiam  
vel in optimis illa puritas, ut non maculæ aliquæ super-  
sint falsa hac aqua cladium velut cluendæ. quia in ex-  
terna omni punitione Deus non præsentia solum adspi-  
cit, sed præterita etiam respicit: & duum horum tem-  
porum momentis temperat æquabiliter justitiæ suæ lan-  
cem. Alias etiam interior animi metus & motus, qui in  
omnibus & malis præsertim se prodit. Quis ad tonitrua  
non concutitur. Isti ipsi qui Deum spernunt, Deum  
tunc agnoscunt, & vel invito oculos animosque ad cœ-  
lestes illas minas demittunt. Observatum crebò, ne di-  
cam semper, istos Numinis palam spretores; pœnas pa-  
lam luisse ab ipso immisas, & plærisque infelicem vi-  
tam tristiore morte consumasse. at bona conscientia  
prodire vult & conspici: ipsa nequitia tenebras timet.  
Satis habet fautorum, qui rectè facit, virtutis æstimate-  
res ii, quorum est premia & honores dare. Scortatores  
teste Plauto, ob conscientiam solem & lucem fugiunt,  
& cubasse scortatores in cellis meretricum, ita ut non  
viderentur, certum est. Item si quando quis à lenone  
scorti alicujus noctem conduxerat, primo diluculo ab-  
eundum illi fuisse, docet Juvenalis. Quoties patres  
conventitii videlicet promiscui adventores fuerunt; &  
qui in unius scorti nidum conspiraverunt amatores.  
Quando luculentum scœnum promeretricum amœni-  
tatibus & blanditiis, quæ in speciem luculentæ & splen-  
didæ; sed vitam & famam si in iis volutere collutulant.  
Excusant se & emendant, ut sint absque mendâ, si fortè  
affines sese fecerint culpæ: quia perplexè loquuntur, at-  
trahunt & alliciunt quoties vinnulata dicta dant, & vin-  
nula voce quasi exprimunt. Sic tamen hodiè vivitur, ut  
multi & inibi famam, conscientiam pauci vercantur.

Fugis

Fugis pestem quantum humaniter potes, quanto magis  
effugies pestes illas animorum, quæ omni arte & fraude  
irrepunt ac crumpunt. Si ad calidas & callidas solis filias  
appropinquas, quis hominum te servet? certè rues: nec  
ullo præceptorū sufflamine te sistet. Quantumvis forma *Lipsius.*  
aut plumis blandiuntur, ah fuge; aut potius pugna quod  
dicitur *περιηγεσθαι.* Quibusdam in locis incedunt aperto  
capite, nudo sinu, nudatis mamillis. Sunt enim qui ti-  
tillant, quæ excitant, & ut cupere ab adspectu est, sic  
velle ab auditu. Oculos inquam primum clande &  
verte longè ab illicebroso hoc adspectu. Aditus enim  
mali morbi hinc est nec amor, aut cupido facile erup-  
rit, nisi per geminas has fenestras. Necessum est ut mu-  
nias te contra omnes non venereos solum, sed paulò  
magis venustos sermones. Est ipsis insanabilis animus,  
& sceleribus scelera contexens: perbiberunt nequi-  
tiam, & ita visceribus immiscuerunt, ut nisi cum ipsis  
exire non possint. Vidisse ea utile, non se inservuisse:  
transiisse, non mischiisse. Abducitur enim paulatim e  
suo fastigio, adducitur misceturque sensibus ex impu-  
ro isto cœtu. Ita est, tuta scelera esse possunt, secura non  
possunt. Cognatum, imò innatum omni sceleri sceleris  
supplicium, & nihil in vita securum solutumque præ-  
ter innocentiam. Imò & tortorem, urit enim, cædit  
lancinat: eò gravius, quia sine morte. Quis inquam  
tam projectus, qui acria quædam flagella senserit, jam  
non faciendo scelere, sed & facto: inultum nec quic-  
quam auferet, aut deportabit. Multi in animo, non  
nulli in corpore admorsi, æternum dolorem retule-  
runt è multorum conversatione. Etenim facinorum  
conscientia sicut ulcus in carne, in animo pœnitent-  
tiam relinquit assiduo lancinantem & pungentem, &  
alias

alias quidem curas doloresq; ratio auscit. Ipsam pœnitentiam creat mortificantem cum pudore, & à se ipsâ punitam. Hinc consentiamus, mala facinora conscientia flagellari, & plurimum illi tormentorum esse, eò quod perpetuo illam sollicitudo auget ac verberat, quod sponsoribus securitatis suæ non potest credere. Tum aliqua res in conscientia præstat, nulla securum: putat enim se, etiamsi non deprehenditur, posse deprehendi, & inter somnos movetur, & quoties alicujus scelus loquitur, de suo cogitat. Si autem homo rem ea reputavit via, meo sum promus pectori. Innocentia præstare possum: quid homines de me loquantur non possum. Mihi sententia de me non nisi apud nūc fertur: nec quis sim alium rogo. Interno isto judice si probus audiam, quid addent aut dement mihi Marculi aut Laconis alicujus sermones. Quis sim in me situm est: qualis audiam in vano isto vulgo. ut mihi ne male dicant homines, prohibere non possum: neque enim id in manu & potestate meâ est. Hoc verò possum & ut ne merito meo dicant. Malis conscientia fuggerente, sciunt malos de se sermones esse. Quid autem boni, bonos eadem teste. *Est profecto Deus, qui que nos gerimus, audit & videt.* Namque mihi pro vero constat omnium mortalium vitam divino numine invisi, neque bonum neque malum facinus, cuiusquam pro nihilo habere, sed ex natura diversa præmia bonos malosque sequi. Nocte dieque tuum gestas in pectore testem, qui non fallit, non fallitur. Et ex oraculo hoc est, suus cuique animus, ex conscientia spem præbet. Rem dicam, ex quâ mores æstimes nostros, vix quenquam invenies, qui possit aperto ostio vivere. Janitores conscientia nostra non superbia opposuit. Sic vivimus, ut deprehendi

hendi sit subito adspici. Quid autem prodest recondere se, & oculos hominum auresque vitare? bona conscientia turbam advocat, mala etiam in solitudine anxia atque solicita est. Si honesta sunt quæ facis, omnes sciant: si turpia, quid refert neminem scire, cum tu scias? O te miserum, si contemnes hunc testem. Quando hoc ipsum de se testatur, ego in juvenili hoc pectore sic sum affectus, ut Deum, virtutem & me constanter colam. Non adulter imperantibus, sed nec irriter: neque exuam hunc affectum, nisi vita me exuat ipse Deus. Cumque ultimus ille & decretoriis dies venerit, spiritum hunc, sine metu, sine motu emittam, & apud nos ignotosque niemoriam mei relinquam, bonam potius, quam magnam.. Omnis res in vado salutis erit. Adjutores & hic duorum generum consiliarii & administrari. Illi qui lingua & mente in primis juvent, hi qui manu & factis. Nonne consilio stant regna, urbes, dominus? ego ita comperi, omnia regna, civitates, nationes usque ad prosperum imperium habuisse, tum apud eos vera consilia valuerunt. Ubi cunque gratia, timor, voluptas ea corrupere, post paulo imminutæ opes, deinde ademptum imperium, postrem servitus impo-sita est. Fuit omnino, inquam, sed usu receptum, quod honesta consilia vel turpia, pro ut male aut prosperè cedunt; ita vel probantur, vel reprehenduntur. inde plerumque eadem facta modo diligentia, modo vanitatis, modo furoris notum accipiunt, teste Plinio. Hoc plerumque facimus, ut consilia eventis pondere-mus: & cui bene quid processerit, multum illum provi-disse; cui secus, nihil sensisse dicamus. Itaque verè scri-ptum, usus efficacissimus rerum omnium magister. Et, experimentis optimè creditur. Etenim, quisquis in re

E

civili

civili intelligens habere volet, opus ei experientia. In quo tamen hoc malum, quod præceptis non traditur, sed artas cum denique assert. Etiam amplissimorum consilia ex eventu, non ex voluntate à plerisque probari: ut satis superque constat. Interdum proponunt consilia, quae sunt male fana, male cocta, male ad prudentiam sollem percocta, nec prudens quispiam insistat ejusmodi; saepe & umbra prudentiae deest, nimio imperitior multò ubi res longi subsellii indiget. Nonnunquam evertit is qui melius nobis it consultum, ut suum sortiatur effectum. Potius Deo & fortunæ adscribendum, quam naturæ & curæ. Vidimus, videmus, videbimus, semperque verum scelera impetu bona consilia morâ valescere. Nam profectò saepè prava magis quam bona consilia prosperè eveniunt. Quia plerasque res fortuna ex libidine sua agitat. Non enim exterostemere, non advenias qui veriloquium hoc imbibiri ad consilium de Rep. dandum caput esse nosse Remp. Item senes quibus corpus animis infirmum, ingenium sapientia validum sit. Sapientia vera firmaque est, non tamen elata, non timet pericula: sed nec provocat aut lassit. Neque errat verbum vetus, consilia senum, hastas juvenum esse. Omnia impedimenta dimitte & vaca bonæ menti, nemo ad illam pervenit occupatus. Exercet Philosophia regnum suum: dat tempus, non accipit. Non est res subcisia: ordinaria est, domina est, adest & jubet. Ad veræ constantiæ asylum te voco & ad arcana illa sapientiæ templæ. Cujus tectum si semel subis & penetras, tectum ego sartumque te habeo ab omni potestate. Scendent quibusdam in locis publicâ ut sic dicam navi inter gubernatores, qui vix remigæ aut sentinæ. ubi tamen gubernatores esse debent, fluctus assilentes, negligentes

gentes manus habentes in clavis, oculos in astris, & quicquid agunt bene agunt. Sin aliter & sèpè ignorantes cuius calor is res sit, quomodo judicii & assensus calculum ponent. Ubi multis adhuc tenebræ, nec de re tota satis certis nec de causis: ubi vix limen libarunt, putant se arcana omnia tetigisse. præsertim ii, qui vix concaluerunt vel coaluerunt in senatu. Et si quos dā impetus, à naturâ sumit, tamen perficienda doctrina est. Non enim solum pulchrior comptiorq; per doctrinam virtus fit, sed & fortior, neque colorem modo ab illo dicit, sed & sanguinem ac robur. Etenim plena satis vix continet, ea nisi animo instituto & edocto. Quis navim mihi dirigat, sine ferto quod adfricuit siderites? Sic nemo Remp. sine mente quam non adflavit illa diva. Artes non ornamenta solum Reip. sed & auxilia & fulcra; tolluntur, quid nisi squallor & ferox quædam, aut, ut verius dicam, ferina vita. Ad sapientiam te convertes, quæ mores tibi corrigat, quæ animum turbidum sordidumque tranquillet & illustret. Illa est, quæ virtutem impræmere, quæ constantiam suggerere potest: illa sola, quæ templum tibi aperire bonæ mentis. De actionibus rem manibus tenere de eo quod ita statutum deliberatumq; habeas, ut id eripi tibi non passurus sis. Rabulæ autem forenses, qui calida mendacia proferunt, & ex tempore proponunt, eripiunt nonnunquam. Rectè dicit Lipsius sèpè forum muricibus sterni, ambulant in jus, qui devorarunt justulo jus. Sicut canibus insitum est quibusdam sine causa & discrimine latrare, & nonnullis unum hoc studium litigare, avidè adhærent, nec mentem ad ulteriora mittunt. Hinc caninū hoc, quod haud temere quipiam concessum latrociniū dixerit. Ubi leges multæ, ubi lites multæ, & vita moresque pravilis litem

gignit, & catena sit, quæ & alios ligat. nam & illud ve-  
rum corruptissima republika, plurimæ leges. Quot-  
quot sunt qui litium quisquiliæ faciunt ob rem levicu-  
lam & litigium inde litigandi ars & studium. Quemad-  
modum vis morborum precia medentibus, sic fori ta-  
bes pecuniam ejusmodi adferat necessum. Itaque pu-  
blicæ mercis nihil tam venale, quam istorum hominum  
perfidia. Hercole non pauci sunt, qui habent leges fle-  
ctentes sese ut ceram, quia pro libero arbitratu hinc in-  
de flectunt. Ut ceræ omnia possunt imprimi, & in-  
genia illorum variè possunt flecti. Alijā libram ap-  
pendunt justitiæ & æquitatis, ut non solum ad lancem  
respiciant, verum etiam ad trutinam, quorsum diver-  
gat, non semper æquiter pendunt. Illibenter incido in  
hunc sermonem, & media quod dicitur agina nuto, nec  
scalpello, circumcidere rectæ rationis. Ut trutina in eam  
partem vergit, in quâ plus ponderis, & multi in eam,  
ubi plus æris, ne dicam ubi plus rationis. Sæpè tollunt  
ab hoc libramento, hunc attollendo, illum deprimen-  
do. Urbicum pecus apud Romanos fuit exterminan-  
dum, quia ociosum & hoc genus superfluum non esset  
ferendum. Quomodo autem non & mores pravi? nam  
primum concordia tollitur, odia aperta aut occulta in  
animis gignuntur; adde fraudes, insidias, & studium  
vincendi, quovis nexu ac supplantandi. Et quidem  
non improbi solum, sed stolidi aut fronte ferrea, qui  
& artem hanc protollendæ sive tollendæ justiciæ ja-  
stant. Persuadet Rudolphus non ternæ sed ter denæ  
aliquæ vobis lites sunt: rescindite istas maximè grandes  
& quæ in monstra aut hydras succrescunt. Quibusdam  
in locis haut ignotis sunt comitiales homines, qui re-  
ligionem juris jurandi parum colere noverunt. Turne-  
bus

hus non sine causa perjuros dicit, qui abjurant rem  
alienam & perjurio negant, qui inibi locorum propter  
quasi habitare videntur, inequitantes & alios: qui si ni-  
hil est litium, litem ferunt quotidiè in foro sunt expo-  
nentes venalem operam & fidem. Imo conceptis ver-  
bis jurant, id est, alio præeunte & jus jurandum ver-  
bis certis certa comprehensis, formula citante jurant.  
Quæ talis erat ex animi mei sententia juro. Hoc jusju-  
randum multò religiosius erat, quam reliqua. Nullum  
crimen inspectum fuisse, quod non tribus testibus pro-  
bari possit jure jurando, malo & perjurio malam quæ-  
runt rem. His enim male volumus, cùm non tam ju-  
re quam injuriā indignissimis modis perditum volu-  
mus. His testibus non esse nefas testimonium prohibe-  
re: & sic nec improbos, nec intestabiles, quandoqui-  
dem sedulam & quotidiè ejusmodi testimoniis dent  
operam. Adeò frequentes in foro, ut nullo inquam  
dic abstineant, nunquam absint à foro, nunquam exi-  
mantur. Qui in jus ambulat rem actam agis, cogitet.  
Hæc res secundum jus civile dicitur: in quo cavetur ne  
quis rem actam apud judices repeatat, neque cramben-  
bis coctam reportet, alioquin se ipsum it perditum, &  
omnia projicit bona sua. Nisi devorarit verba, id est,  
qui non bilem & dolorem devorarit & absconderit,  
& secum continuerit ipsa salus si vellit, servare ipsum  
non posset. Quando verò non maledixit judici, nullum  
emisit ne calamitosi quidem verbum, cum & cor suum  
transfigendum animadverteret; potest dici merito de-  
vorasse verba. Inter cætera mortalitatis incommo-  
da, & hæc est caligo mentium: nec tantum necessitas  
errandi, sed errorum amor. Ne singulis irascaris, uni-  
versis ignoscendum generi humano venia tribuenda

est. Si irascitis juvēnibus senib⁹ sc̄q; quod peccant p̄fūscere infantibus quod peccaturi sunt. Nunquis irascitur pueris quorū ætas nondūm novit rērum discrimina? major est excusatio & justior hominem esse, quam puerum. Atque nihil est tam difficile & arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat assidua meditatio; nullique sunt tam feri & sui juris affectus, ut non disciplina perdomentur. Quædam cūim falsa veri speciem ferunt. Dandum semper est tempus: veritatem dies aperit. Ne sint aures criminibus faciles, hoc humanæ naturæ vitium suspectum, natumque nobis sit: quodque inviti audimus libenter credimus, & in suspenso ira retinenda. Potest enim pœna dilata exigi, non potest exacta revocari. Medicus omnia tentat, priusqnam ad sectionem aut unctionem accedit: ita & legum præsidem civitatisque rectorem decet ultima supplicia sceleribus ultimis imponat, ut nemo facile pereat, nisi quem perire pereuntis etiam intersit. Sene- ea, sæpè autem satius facit dissimulare, quam ulcisci: & more Politorum, qui non simulare potest, ille nec regnare potest. Ergo ira abstinendum est, sive par est, qui laceſſendus est, sive superior, sive inferior. Nam cum pare contendere anceps est: cum superiore furiosum: cum inferiore fōrdidum. Iram ut seponamus necessum est, quia hominis naturam mutat. Illa in amorem hortatur, hæc in odium: illa prodeſſe jubet, hæc nocere. Quid enim quiete animi otiosius, quid fra laboriosius? Quid clementia remissius, quid crudelitate negotiosius. Non expedit omnia videre, omnia audi- re, multæ nos injuriæ transciunt, ex quibus plerasque non accipit, qui nescit. Non vis esse iracundus? ne sis curiosus, sæpè ad nos iravenit, sapius nos ad illam, quæ nun-

nunquam accessenda est, & cum incidit rejiciatur. Cateamus hoc malo, purgemusque mentem & extirpemus radicibus ea vitia; quæ, quamvis tenuia, unde hæc rint renascentur: & iram non temperemus, sed ex toto removemus. Quod enim malæ recte temperamentum est? poterimus autem, annitemur modo, nec ulla res magis proderit, quam cogitatio mortalitatis. In hoc cunctis dies, in hoc noctes, hæc unica cura, hoc unicum solatum; ut Deum in primis piè pureque veneremur, inde sapientiæ studia & tractemus, & quicquid propriè ad usum & cultum animorum. Denique classica nulla aut turbas audiamus, corvos aulæ & fori non videamus, sed modestè, tranquilleque nobiscum vici temus, nec expertes ambitionis aut pallentium curarum. idem nobis sit, & constanter pergamus ad illum tranquillitatis internæ portum, qui verè efficit beatos. Nulla res magis animis honesta induit, dubiosque & in pravum inclinantes revocat ad rectum, quam bonorum converratio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim praceptorum obtinet, frequenter audiri, aspici frequenter. Occursus hercule ipse sapientum juvat, & est aliquid, quod ex magno viro vel tacente te proficias? Quid? imo juvabit ille vel ipse cogitatus. Nam & Seneca hoc admonitum ad mitte: aliquis vir bonus eligendus ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Fugiamus in primis vera & interna animorum vitia, quorum ubique larga & obvia seges, è quâne quas spicas inprovidè colligamus magna cuivis cura, imò metus. Quare maneamus in hac viâ, quam institimus, segregandinos à vulgo: nec id sermone tantum, & velut in pompam fiat, sed re ipsâ, & quod dicitur, bonâ fide.

Vacil-

Vacillamus, imò cadimus interdum? Surgamus, & cita  
celeritate corrigamus, quod temporis creptum lapsu.  
Aptare enim antiquam Romanam fidem ad hanc Ger-  
manam volui: & in cogitatione totus dum sum, illa-  
psa, quædam fortasse quæ hanc magis sapient, quam  
istam. Romani olim orbi terræ acerbum jugum im-  
posuerunt, sed jugum salubre exitu. Nam ut sol caligi-  
neni ab oculis: sic barbariem ab animis ista gens fugi-  
vit. Etiam veterani venatores cervum ex impressis ve-  
stigiis dignoverunt: Ita Romani ex conversatione vi-  
rum. Qui sermones, si quid improvidi habent, nihil ta-  
men impii, & vel apud improbos colorem habebit pie-  
tatis. Quæ si vera fateris, etiam necessum est, nisi ratio-  
nem omnem exuis & sensum. Illud quoque adfaterem  
decreta omnia divina firma, & immota esse, firma ni-  
mirum in bono, unum idemque appetens, unum idem-  
que sentiens, recti consilii, recti judicij fons & origo.  
Sperne & reduc omnia ad veterem veramque formam:  
cui præter fructum, major sanè dignitas & venustas.  
Quod si unus aut alter hoc affectavit: si ipse solium il-  
lud sapientiae insidere priuatis non ejestis: ne illa apud  
sapientes omnes, valde insipiens. Atque meo voto &  
alii laborent in similibus argumentis: quibus non ob-  
lectari tantum animi possint, sed instrui & juvari: pie-  
tas & mores inseri, qui nimium exulant, ab hoc ævo.  
Quod superest ad vos me converto, Viri Magnifici, ad-  
modum Reverendi, Consultissimi, Clarissimi, ex ani-  
mo amari & coli à me scitote & canam illam veritatem.  
Grandes etiam gratias habeo & ago pro præsentia ma-  
gnifica. Utinam & ego amorem honesti infundam, &  
vobis cives ejusmodi donem, quorum pectora proma,  
prompta, ipsâ nive candidiora. Favco & foveo, ut &  
nos

nos in eadem togā candidā, quo ad sinceritatem, pu-  
ritatem, & castitatem, nec albi coloris vestem exuc-  
imus, nisi Dca tristis & amara accesserit, & vita nos  
exuat ipse Deus. O quando vos & nos inviseret  
candida illa diva? Ut cum Lipsio tandem claudam &  
concludam, quæ à me proposita, utinam non grata so-  
lum, sed salubria: nec delectent tantum sed & magis ju-  
vent! juvabunt autem, si non in aures solūm, sed in a-  
nimum demittes. nec inaudita jacere, & inarescere ca-  
patiere, ut semina sparsa summo solo. Denique si repe-  
tes serio, & ruminabere seu ruminabere. quia ut ignis  
è silice non uno concussu elicitur: sic in frigido isto pe-  
store, non primo admonitionum ictu accenditur la-  
tens & languens in nobis vis illa honesti. Quæ ut verè  
aliquando in te ardeat, nec verbis aut specie, sed  
re & factis, supplex quæso, veneror quæ atcr-  
num & divinum illum ignem.



F

FRAN-

Fraude hominum, ex animis hominum, discesserat, atq;  
Ad Lunam, CANDOR, transferat Chymicam.  
Nunc animis hominum candorem reddere curat,  
Leucoris, ex hortis, Flos, Galatea, tuis.  
Hunc tamen o homines queat ut queq; reddere, Floris  
Candorem vestris suscipitote animis;

Amico suo singulari  
atq; dilecto sacrat  
S. E. J. S.

J. Seusius.

Quod Pietas cedens terris super astra volavit,  
Exosa publicum nefas  
Jam penitus corrupti orbis, se Candor cōdem  
Dolis fugatus callidis  
Contulit, & cœtus hominum ac commercia vitans  
Nunc cœlites inter colit.  
Ne tamen & nomen rabies quoque dñelet xvi  
Dente omnia ~~avaro~~ attrens,  
BLUMIUS hoc prohibet docto libro atque venusto,  
Quem mille Suada floribus,  
Mille Venus sparsit. Certatim attollite laude  
Hoc candidum studium viri  
Quotquot adhuc veterum ad mores præcordia finxit  
Japeti prudens genus.  
Attu victuris quando isthac tradere chartis  
Amice JANE pergeres,

Ethe-

Æthera cōscendisse reōt te & fidetra mīente

Infrā relicto te solo.

Talia quis pangat de Candore, ipse nisi illi

Coram videndus adsttitit?

Wittebergæ f.

AUGUSTUS BUCHNER

Poëf. Prof. publ.

---

In Viri Clarissimi

## JOANNIS BLUMII

librum de CANDORE.

E x torrem revocas Candorem, candide BLUMI,  
Nil potest candidius: nil potest floridius.

Allusum ad auctoris nomen, quod  
Germanis flos est.

THOMAS SEGETHUS.

---

In Candidum de CANDORE

scriptum,

## JOHAN-BLUMII

J. U. Cand.

R Ara avis in terris Candor. Namque astra petisse  
alis hunc perhibent candidioribus.

Multa avis in terris, nigroque simillima corvo  
Degit vafricies perniciosior.

Nam nova jam facies Politias, nescia priscæ  
vitai, & fidei, sicque negotii.

F 2

Pan.

Panditur hæc Politia, novum quoque acuminis om̄en,  
& nomen celeris possidet ingenii.  
Ast, si sit quid adhuc per acumen fallere mentis,  
mentis pernitas pernicies erit.  
Rectius ergo facis hujuscē nova Politias  
dum scriptō faciem nunc retegis tuo.

In Φιλομητορίω fudit Basilioreae  
κατά την αθαγένη μα

JOHAN RAICUS Med. Licent.  
& Scholæ Cathedralis Kniphovianæ Rector.

## Dn. Johannem Blumium.

**F**loræ, candide Flore, Candidatum,  
Nuper Te licuit vocare nobis,  
Cùm seruo redimitus eleganti  
Flores prosequereris hortulosq;  
Scitis laudibus, actione scitâ:  
Nunc cùm de Cathedrâ bonus probusq;  
Candoris bona publicè probasti,  
Quid restat, nisi Te vocemus omnes  
Candoris Fideiq; Candidatum, **ΙΑΝΟΙ**  
Candoris Fideiq; vel Magistrum?

PHILIP. FRENCKIN.



JOA-

JOACHIMUS MORSIUS  
JOANNI BLUMIO

SUO,

*Salutem plurimam & faustissimum novi anni  
auspicium.*

Cum ex Bonussia mensibus aliquot retro ad nos Lubecam venires, Blumi flos eruditissimum amicorum illibate, amicitiamq; meam, quâ propriis virtutibus, quâ commendatione magnorum virorum laudatissimus, ambires: non minus libenter Te, Clarissimi heu quondam T A U B M A N N I N O S T R I affine in unquam inficiandum, in Imperiali hae urbe; quam in Regia suâ Londini, sumimus olim in Republicâ literariâ Dictator ISAACUS C A S A U B O N U S, vidi: & expansis circa collium brachiis complexus sum. Dolui tamen tunc valde, quod ubi vix mihi FORTUNA AUREA candidos tuos vultus ostenderat, ITER Tuum DANTICUM eosdem oculis meis statim subduxerit, neque gratissimo tuo consortio privaverit quod nunc tam feliciter mihi ceciderint, teque ex inspectato nobis sanum & salvum in STARICIANIS aedibus reddiderint, equidem haud vulgariter latior;

F 3

optoq;

optoq; ut hæc conjunctio Musis nostris sit frugifera ac diuturna. Nec si corpora rursus erunt divellenda, unquam animi ullis temporum interstitiis, vel locorum intervallis separentur. Hoc de tuo confido, de meo Sincere & Constanter tibi spōdeo. Arctiora n. apud me virtutis, quām sanguinis vincula; potioresq; doctrinæ, quām opū nodi ac nexus. quemadmodū Te, tuosq; & optimum quemq; rerum non verborum fide, cognoscere malo. Nuspianam quò cura mea aliqui poterit, facta deficient, & ad ruborem verba adigent. Dum commoramus inter homines, colamus humanitatem, & semper ambulare in viis sanctorum studeamus. in conversatione existamus universis suaves, nemini graves. Deo vivamus pie, nobis prudenter, proximo justè. Amicis utamur ad gratiam, inimicis ad patientiam, omnibus ad benevolentiam, quibus valeamus ad beneficentiam, & nobis nostrisq; vitiis quotidiè moriamur, ut in morte cœlestib[us] annuleremur. Quam robustam & minimè fictam Philosophiam, Lipsius seculi nostri Epictetus, ejusq; & mundi melioris præceptor SENECA, (quos post SACRA BIBLIA in deliciis tibi esse scimus) nullibi non inculcant. O Te beatum! qui augustius Numen inter mortales Sapiente & Forti non agnoscis. Perge Te ipsum imitari, & per ardua quære destinatam tuis meritis coronam. Sic cœlum ipsum patescit,

tescit, & perpetuitati consulitur. Tu cibem patrem  
geras, tu consule cunctis Non tibi: nec tua te mo-  
veant, sed publica damna. Ad Salutem commu-  
nem natus ac educatus, duo divini Platonis hæc  
monita diligenter observa, ut quæcunq; agis ad  
eam referas oblitus commodorum tuorum: alte-  
rum ut totum corpus Reip. cures; ne cum partem  
aliquam tuearis, reliquias deseras. Progredere susti-  
nendo, & ita Te compares, tanquam qui vincere ne-  
sciat. Sparge dona ingenii tui, liberali dextra; nec  
editionem lucubrationum tuarum impedit Zoili  
stupor. Dulcissimis Lusciniæ modulis, sententia  
vana pecoris. Arcadici, Coccios mos præfert. Fle-  
stete à Caveâ ad Orchestram, & invenies Equi-  
tum applausus.

Omnia fert Tempus, modo tempora tempore rectè  
Tempera, & hoc melius tempore, tempus erit.

Soletur Te conscientia & finis. Ut Solvitæ Sapientia,  
Salvitæ amicitia, penitentia Temperantia, an-  
tidotum vitæ Patientia: ita vita vitæ Conscientia.

Pleriq; quotquot hic in orbe vivimus,

famam veremur improbam:

At, nonne conscientiam vererier

præstat, Deus quam pervidet?

Hoc ergo agamus, quos metus Dei tenet:

nam sic ei placebimus.

Grassetur aliis incommodo Republicæ & Hone-  
statis odio, bonorumq; obtrectatione ad famam:

Tu, qui mecum, varias vario sub fidere positas Re-  
giones,

giones, Apum more p̄eragraſti: nec duroſterfaq; mariq; labores, sapientiæ, literarum & literatorum cauſâ, exantlare recuſasti: & ſæpè æſtus, pluvias, nives, ac acerba frigora paſſus, ſapientiam, ejusque nutriculas literas & propagatores, ſtylo tuo adſere, & aduersus barbarorum incuſus, clypeo haſtaque tua deſende. Quæ hactenus de Militia, de Fato, de affe-  
ctibus à Magistratu coercen-  
dis, de Educatione ac tem-  
poris collocatione, de Æſti-  
mio Muſarum & ſtyli, de Pe-  
regrinatione, de Hortis, de  
**Candore** (qui proh dolor! jam auditu-  
ſica simplicitas) atque pro magistro tuo LIPSIŌ,  
& cognato TAUBMANNO ſcripſisti, Encomiis  
ſuis extollere certarunt, excellentes Sagô togâque  
heroes. Macte glorioſis eorum Elogiis & eximiis  
tuis dotibus! ac illis, Patriæ, mihiique longum  
superstes vire, vige, flore. Dabam  
properiter Kalend. Jan. A.C.  
M. DC. XXIV.

—  
—  
—

Dieser Band wurde 2002  
durch Bestrahlung sterilisiert.  
Verfärbungen stellen  
keine Gefahr dar.

Datum der Entleihung bitte

hier einstempeln

digitalisiert misc.4 NN: 320663582

(204) JG 162/14/79

SLUB DRESDEN



3 0607846

